

ritus ergo ac miratus juvenem moribus integrum habitum, sic torqueri, quærit cur his pœnis addictus esset. Cui Ruffus, nil aliud sibi crimini datum, præter aleæ lusionem, qua frequenter usus, nullum id vel leve peccatum ducens, sacerdoti confitere neglexit. Quem non terreat hoc exemplum et quot putatis, sunt, qui ex crassa vel affectata ignorantia similia peccata non confitentur? Quam multi fœde abutuntur matrimonio, rati sibi in conjuges quidvis licere, non advertentes quod B. Ægid. S. Francisci socius cuidam glorianti, quod præter uxorem, nullam tetigisset, respondit: *Ne gloriaris; potest enim quis non minus e proprio vase, quam alieno inebriari.* Quam multi bona sua prodigunt, rati sibi licere de illis disponere quomodocumque? Quot sunt, qui cum possent restituere aliena et solvere sua debita, differunt tamen cum damno creditorum: nec tamen id pro peccato habent, adeoque nec confitentur! Cædendus igitur est hic Amalec; siquidem jussit Deus scribi in libro nequitiam Amalec: *Memento quæ fecerit tibi Amalec, etc. Cave ne obliviscaris,* Deut. XXV. et post aliquot sæcula a Saule omnino eum deleri. Inscribenda sunt memoriæ peccata præterita, et delenda in confessione usque ad interneccionem: nec parcendum pinguioribus, h. e. peccatis gravioribus, quemadmodum pepercit Saul in ea executione, maximo suo damno.

III. Tertius est Edom rex Idumæorum, qui requisitus, ut concederet transitum, noluit: *Non transibis per me,* inquit, *alioquin armatus occurram tibi,* Num. XX. Edomitæ posteri Esau erant, adeoque fratres Hebræorum, quare noluit Deus, ut cum iis pugnarent, et regionem eorum transirent: sed jussit eos deflectere ad aliam viam, et juxta fines Idumæorum pergere. Edom significat quemvis fratrem aut proximum nostrum, per quem transire non debemus in confessione, neque finis ejus tangere accusando, vel in ipsum culpam devolvendo. Deliquerunt hac in re primi parentes nostri, qui requisiti de transgressione sua, rejecerunt culpam alter in alterum: Adam in uxorem, (cujus tamen amore prius peccarat, post crudeliter illam ream fecit) Eva in serpentem et uterque oblique in Deum, bene proinde præmissum fuit, quod consuerrint folia ficus, ut nuditatem suam velarent. Quid enim consuere folia ficus ad se vestient, nisi excogitare vanas excusationes et peccata palliare? Ut advertit S. Gregor. I. XXII. moral. c. XIII. Hunc morbum hæreditario quasi jure derivarunt in se homines, præsertim conjugati, qui in confessione sæpius se mutuo accusant. Duplex hoc peccatum est, quia peccatum proprium negatur, et alienum contra jus et

fas aperitur. Comparavit quispiam tales crumenicidis, qui in templo miscent se et intrudunt in confertam multitudinem: ubi quasi orarent, fictas manus jungunt atque elevant, interim veris suis manibus, aliorum saccos rimantur vel crumenas abscondunt. Flectunt isti genua in confessione quasi se accusaturi et veniam precaturi: interim alios famæ surreptione lædunt. Verum sicut protoplasti frustra se palliarunt, et *Potius,* ut ait S. Greg. ibidem, *sibi Deum quam se Deo absconderunt:* ita isti non se abscondunt Deo, omnia videnti; sed Deum sibi, ut ipsum invenire ejusque gratiam nequeant.

Ergo declinandus est rex Edom, non transeundum per fratres nostros, nec illorum acta nostris pedibus calcanda; præterquam cum quis aliter suum peccatum aperire nequit, nisi complice indicato. Tunc enim complex sibi id imputet; ut docent theologi morales.

IV. AraJ rex Chananæus, qui in prima quidem congressione victor existens prædam ab Israele tulit, in secunda vero victus et deletus est, Num. XXI. Chananæus mercatorem significat, unde et Chananæi fere omnes mercatores erant ob vicinum mare; et significat eos, qui ut latere et perseverare in peccatis suis possunt, quærunt sibi confessarios ad hoc idoneos eo fere modo, quo mercator aliquis circuit per nundinas, et quærit sibi emptorem nummatum vel simplicem, cui imponat. Sic enim aliqui.

Primo. Quærunt simplices et parum doctos confessarios, qui *ab hoc et hac* absolvant, contra id Eccles. IV. *Ne subicias te omni homini pro peccato,* id est omni confessario, ut explicant Liranus et Holcot. Multi enim stipites et truncos consulunt, de quibus dici possit id Ose. IV. *Populus meus in ligno suo interrogavit et baculus ejus annuntiavit ei.* Quis in periculoso morbo non præstantissimum quærît medicum? Quis in magni momenti litigio non peritissimum juris consultum? Quis per mare iturus non navarchum peritum? Imo quis non exoptat eligique optimum sartorem, optimum sutorem? At quæ dementia est, in rebus fluxis sibi quam optime consulere, in salute vero animæ de æternis bonis sibi minime prospicere?

Secundo. Alii, ut fere nobiles solent, graviora confitentur alicui extraordinario, rudi vel ignoto ac peregrino: leviora ordinario, gravi, perdocto ac religioso viro; ut hac ratione se sapientissimum confessarium habere, gloriari possint; quod nil aliud est, quam maligno morbo, uti laterum dolori, stultum, ignarum et imperitum quærere medicum, qui nesciat ægri complexionem: levi autem, ut catharro, tussi vel dolori capitis notum et peritissimum. Potest

quidem subinde absque culpa confessarius mutari, cum tamen prædicta causa sit, signum est abjecti animi et tendentis ad interitum, tamque pene a dæmone victi. Signum etiam manifestum hypocritæ, bonam opinionem quærentis apud confessarium, qui ipsius vitia sanare debet. Sane *Pauperem superbum* odit Eccles. c. XXV.

Tertio. Alii iisdem peccatis immersi mutant semper confessarios de uno ad alium currentes; ut ne tot illorum relapsus deprehendantur, sicque a cursu suo, qui ad infernum tendit, impediuntur. Qui sane aliud non agunt, quam quod mutatis crebre equis celeriter ac *per postlam,* ut aiunt, ad infernum eant. Sicut enim equus nescit quo te ducat, licet tu ad præcipitium tendas: ita et confessarius, qui relapsus tuos ignorat, nesciens te scientem ducit ad interitum. Similes hi sunt Caino, qui formidine parricidii sui agitatus, nullo certo loco consistere potuit, sed profugus in terra ne alicui notus fieret, de loco in locum migravit, sceleris sui carnificem semper secum gerens. Nec alia de causa peccata tales evomunt per confessionem, nisi ut iterum se ingurgitent.

V. Quintus, Rex Amorrhæorum Sehon, qui transitum dare Hebræis nolens et obsistens, ad interneccionem cæsus est, Num. XXI. Sehon *eradicatio.* Amorrhæi *amari* exponuntur. Ea vero eradicatio quid nisi examen conscientiæ, quod vel ipse confitens secum vel confessarius cum ipso instituit? Id enim eradicat vitiorum amaritudines. Hinc bene Amorrhæi cæsi dicuntur in ore gladii, quia per examen et interrogatorio confessarii ore deprompta mactantur et evelluntur peccata, velut herbæ pestifera ex horto. Rem certe tibi pergratam utique faceret, hortulanus peritus, qui noxias herbas ex horto tuo evelleret, et salutare implantaret, necnon qui domum tuam emundaret omni spurcitie, vel fures inibi latentes pervestigaret. Hoc facit confessarius, vel quod melius, tu ipse scrutando teipsum. Hostis tibi videtur hæc examinatio, sed revera arcticus est, non minus quam solers medicus, qui potionem tibi data noxios humores expellit e tuo corpore. Intolerabiles vero prorsus et perversi illi sunt, qui confessarios traducunt et derisui habent, quod variis questionibus eorum conscientias scrutentur. Quis enim ridet vel infamat medicum, quod ægorum affectus et paroxysmos indaget, urinam et excrementa inspiciat? Nonne propter hanc solertiam, charitatem ac demissionem magis diligendus atque honorandus est? Idem præstat animæ confessarius quod corpori exhibet medicus.

Eandem ob causam libenter acceptandæ sunt

satisfactiones injunctæ, licet aliquantum amaræ et difficiles sint; quia per illas radicibus evelluntur herbæ noxiæ, cum per examen et confessionem abscondantur solum, radicibus adhuc animo inhærentibus. Acceptandæ etiam correptiones; nam uti S. Anselmus dicere solebat: *Ubi non est correptio, ibi est corruptio.* Quam profuit Davidi reprehensio Nathan prophetæ; sine qua sero valde vel nunquam resipisset? Id agnovit David, nec inique tulit se graviter objurgari, II. Reg. XII. Rex hic fuit, quid faciat homo privatus? E contra non tulit correptionem Joannis rex Herodes, sed inclusit eum in carcere, at denique decollavit, quia ejus conscientiam momordit. Quem ergo placebit imitari magis, Herodem potius quam Davidem? Canes, equi et similes bestię morsu et calcibus petunt eos, a quibus medelam accipiunt, quia nesciunt, quid circa se fiat. Hoc fecerunt Judæi Christo in cruce pendenti, qui dum eis pharmacum pararet e suo sanguine, ipsi multa phrenesi pleni insaniebant in medicum suum. Unde Christus pro eis rogans ait: *Pater, Dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sed hi malitiose et crassa ignorantia plerique quid agerent, nesciebant: bestię non possunt noscere suum medicum.

Quando ergo jam agnoscimus hostes, qui iter nostrum præpediunt, superest ut armemus nos contra illos. Magna spes victoriæ est, hostes suos novisse et eorum potentiam et arma perspecta habere. Ergo *dirigite viam Domini,* per rumpite hostes illos, ut ad terram lacte et melle manantem in sancta communione perveniatis

#### CONCIO IV.

CONFESSIONIS ALIQUOT NOTABILES DEFECTUS.

I. Periculosum est fingere se alium. — II. Aliqui se prophetas dicunt. — III. Alii Eliam se dicunt. — IV. Aliqui se Christum esse asserere videntur.

#### THEMA.

*Quid dicis de teipso?* Joan. I.

Periculosa res est, auditores, alterius personam sibi affingere, principis præsertim aliusve magnatis. Senserunt istud aliqui maximo suo malo et crudeli supplicio: vidit hoc et sapuit miles quidam, nomine Conradus Stich, patria Oxenfort faber opificio; qui cum in Italia militaret, et Conradino Suevo exercitus duce capto, et Neapoli jussu Caroli Adegavensis decollato, provocaretur ab exercitu, ut se Conradinum ducem assereret quod facie ipse simillimus esset, jamque pro tali proclamaretur, ipse sibi consulens, et periculum prospiciens, e castris profugit in patriam, et pro duicali sceptro fabrilem malleum arripuit, ut quem olim

tractare didicerat. Auctor recens refert in theatro hist. trag. Vidit etiam hoc periculum noster Baptista in hodierno Evangelio. Cum enim optarent Judæi, ut se Christum affirmaret, aut saltem Eliam vel prophetam; Joan. toto pectore fictionem hanc refugit, ac publice protestatus est: *Non sum, non sum. Qui cum tantæ virtutis esset*, ait S. Greg. in hom. VII. ut *Christus credi potuisset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se*. Et quidem jure merito docet omnes esse tales, sinceros et apertos. Reperire tam en est aliquos adeo vecordes, ut fateri videantur; non ore quidem, sed opere, et actione, se esse prophetas, Eliam et Christum, quodque magis mirandum, in ipsa exomologesi, in qua se vel maxime agnoscere peccatores debent homines. Id vero qua ratione contingat, nunc videbimus.

I. Aliqui se prophetas dicere videntur. Quo vero modo. Primo prophetæ sua vaticinia fere ænigmatice et obscure proponunt, ut non facile omnibus pateant, donec impleta fuerint. Sic confitentis aliqui peccata sua obscure proponunt, ut a confessariis difficulter intelligantur: accusant se in genere tantum, de habitibus vitiosis, sub dubio, verbi gratia, solet hoc vel illud contingere, ut quis inebrietur, iniquum accipiat lucrum; vel, Non sum omnino immunis ab hoc peccato, etc. Et quid cum his ager medicus spiritualis, cui vulnera non ostendunt! *Quod enim medicina ignorat non curat*, ait concilium Tridentinum, sessione XIV. cap. V. Similiter et judex qualem feret sententiam, si causam non perspiciat? Ipse Pilatus vidit, se non posse ferre in Christum sententiam ex eo præcise quod diceretur malefactor, nisi in lucem promerent, quid tandem mali fecisset. Hinc David non quomodocumque se confessum dicit, sed: *Delictum meum cognitum tibi feci*, inquit Ps. XXXI. *et injustitiam meam non absconli*. Ubi S. Greg. in eum. Ps. *Plus est, inquit, delictum cognitum facere, quam manifestare. Ille enim delictum cognitum facit, qui non solum quod fecit, annuntiat, sed etiam peccati causam et originem narrat: qui non superficie tenuis peccatum loquitur, sed et quando, et ubi; et quomodo, etsi vel ignorantia, vel casu, vel studio deliquerit, confiteatur*.

Secundo, prophetæ solent saltus facere ab una persona ad aliam, v. g. a propria ad Christum, a Lucifero vel impio rege ad Antichristum, ab excidio Jerosolymæ ad excidium mundi, etc. Quod etiam imitantur aliqui confitentis, dum a sua persona saltant ad alias, uxores ad maritos, et contra: alii ad suos complices vel seductores, parentes, domesticos. Hujusmodi saltum edidit rex Saul quando in prævaricatione deprehensus a Samuele, negare jam non

potuit, sed pepercisse melioribus in excidio Amalec; itaque culpam rejecit in populum suum dicens: *Pepercit populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo*, I. Reg. XV. ac si studia populi non probarit, dum illorum gregum causa tardius progressus et partem populi divelli ad greges passus est. Unde bene in eum locum S. Greg. • Quando reprobi arguuntur, culpas aliquando negando tegunt, aliquando ad alios transferunt. Tegunt quidem negando, cum latere possunt: sed dum quasi in aperto deprehensis tenentur, quod negare nequeunt, aliis adscribunt. Dic ergo mi pœnitens quicumque tandem es: *Non sum propheta*, nec talis esse volo. Pravos etiam saltus edunt quidam alii, qui cum in eodem vitiorum cœno diu valde hæreant, et crebro in id recidunt, fugiunt consuetos suos confessarios, at transiliunt ad alios; quominus impediti pergant ludere ludum suum, et incidant in gehennam. Quibus convenit, quod Deus Isaia c. VII. ait: *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggravata, et oculos ejus claudet, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum*. Sed qua ratione dices, facit ista Deus? Facit permittendo, et quidem in pœnam illorum, qui hoc ipsum quærunt, dum fugiunt data opera suam curationem et peritos medicos, quæruntque imperitos, morbi sui ignaros, ne forte convertantur ab eis et sanentur. O fulmen! O maledictio omnium pessima! Interim a stultis studio quæsita!

II. Videntur alii dicere, se esse Eliam. Qua ratione? Primo, quia sicut Elias, per turbinem raptus est in cœlum, ut dicitur IV. Regum II. ita volunt aliqui in confessione statim expediri ac dimitti, adeoque vel ut per turbinem rapi in cœlum, absque ulla confessarii admonitione, consilio, reprehensione, dehortatione, accuratiori examine. Verum isti scire debent, confessarium sustinere duas personas, judicis et medici. Ut judex causam rei cognoscere, ut medicus plagas sanare debet. Hoc autem fieri nequit, nisi salutari consilio velut medicina ad sanandum morbum et relapsum cavendum. Quare sicut Eliæ, dum turbo eum afflaret, dictum est: *Non in turbine Dominus sed in sibilo auræ tenuis*, demum ad ipsum venit Dominus II. Reg. XIX. ita judicandum de confessione, quæ si turbinis instar expediatur, perfectam animæ sanitatem non afferet: sed *in sibilo auræ tenuis*, hoc est in salutaribus et paternis consiliis et diligenti examine. Desiderabat Naaman leprosus, ut Elisæ us ad ipsum egrederetur: et non solum preces super ipsum funderet, verum etiam plagam tangeret, IV. Reg. V. Verum id in morbo corporis divinitus sanando, necessarium non erat in morbo vero animæ,

cum obconsensum liberi arbitrii requisiti, valde necesse sit tange re plagas, et exaggerare gravia peccata, reperiri nuntur aliqui, Naamane illo longe delicatioris, qui tangi non volunt neque reprehendi; quod aliud non est, nisi postulare, ut plaga non ex radice et solide sanetur, sed ut cicatrix solum vulnere obducatur quod quidem citius sit: sed cum sanandi damno, uri et secari nolunt, ut solide sanentur. De his ait B. David de Augusta in opusculo: *Multi sunt, qui nunquam fecerunt confessionem suam nisi transitorie, scilicet currendo, quasi gallus super prunas, quam citius possunt*. Sed videant nedum prunas fugiunt, incidant in ignem, si non æternum, saltem transitorium illum.

Secundo, Elias in curru et equis evectus est in cœlum, h. e. œris regionem aliquam. Hunc in modum aliqui evehi in cœlum per currum et equos per scrutinium videlicet a solo confessario institutum; non evolare suis alis proprii examinis volunt. Non rejicio quidem priorem illum confitendi modum, sed assero posteriorem esse multo meliorem; quia magis securus, magis liber et spontaneus. Scimus in Scriptura Sacra celebrari *myrrham primam* seu electam, uti Exod. XXX. ubi ad oleum unctionis conficiendum jubetur sumi *myrrha prima*, seu (ut habent Septuaginta) *libera*. Ea vero est, quæ suapte sponte fluit ex frutice myrrhæ: altera, quæ secunda dicitur, non nisi ex cortice inciso, priore multo vilior. Confessio quædam myrrha est, quia pretiosa res, tamen amaritudinem habet. Vis facere bonam confessionem? Fac ut sponte ex ore tuo distillet, non expecta, ut cultro confessarii incidatur. Illa est myrrha prima et electa, de qua Job c. X. dicit: *Dimittam adversum me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ*. En myrrhæ amaritudinem ultro fluentem. Hanc requirebat ab Adamo Deus, cum quæsivit: *Adam ubi es?* Et a Cain, cum dixit: *Ubi est Abel frater tuus?* Sed quia sponte non sunt confessi, cultro et incisione eguerunt: itaque a Deo redarguti et convicti demum culpam agnoverunt, ideoque pœnas dederunt, quas evadere poterant, si se priores accusassent. Ita enim scribit de Adamo S. Augustin. ser. XIX. de sanctis: *Si Adam humiliter se accusasset, et in auctorem suam culpam non retorisset, a paradiso non exulasset*. De Caino vero S. Ambros. orat. V. adversus Judæos, cum, licet tandem confessus sit, majorem scilicet esse iniquitatem suam, quam ut vel veniam mereretur, non abluisse tamen peccatum suum; quia • Non simpliciter dixit propheta (Isaia c. XLIII). Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris. Quod queritur, hoc est, non simpliciter esse dicendas, sed prius esse dicendas, non expectandam redargutionem accusantis. Hic autem non dixit

prior, sed expectavit donec redargueretur a Deo, quin potius illo redargente negavit. •

Tertio, Elias non vero curru et equis, nec vere igneis, sed ex aere fictis ac rutilantibus evectus est in cœlum non verum et empyreum; sed in æreum dumtaxat, et inde in secretam aliquam terræ regionem, ut ait S. Greg. hom. XXIX. in Evang. Hunc in modum aliqui velut Elias per fictam et simulatam confessionem, quasi in fictio curru, putant se in cœlum verissimum evehendos: decipiuntur tamen, quia non habent verum et igneum currum contritionis, qui duos requirit equos igne charitatis ardentes; dolorem de peccatis supernaturalem, cum sincero emendationis proposito. Audiant hi S. Bernardum de interiori domo, c. XXXVII. • Simulata confessio, inquit, non est confessio, sed duplex confusio. Excludit enim miserationem Dei, miseriam simulatio: nec dignatio locum habet, ubi fuerit dignitati præsumptio. • Talem porro confessionem alibi describit (gradu IX.) de gradib. humil. his verbis: • Vultum dimittit, prosternit corpus, aliquas sibi lacrymas extorquet, vocem suspirii; verba gemitibus interrumpit; nec solum objecta non excusat, sed ipsam quoque culpam exaggerat, ut dum impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ ore ipsius additum audis, etiam illud, quod ratum putabas, discredere possis, et ex eo quod falsum esse non dubitas, dum confitetur, in dubium veniat, quod quasi certum esse tenebatur. • Sic transfigurant se miseri et sordidi in Angelum lucis, (II. Cor. XII.) et convertuntur in arcum pravum, (Ps. LXXXVII.) ita ut a cœlo, quo jaculari volunt, longissime aberrent.

Quarto, Elias dum tolleretur, pallium quidem reliquit in manibus Elisæi, seipsum vero abstulit. Ita etiam aliqui ex iis præsertim, qui ex præcepto confitentur, pallium tantum et umbram confessionis afferunt et relinquunt in manibus confessarii: schedam scilicet confessionis suæ in testimonium, quod satisfecerint præcepto et superioribus vel ne videantur exleges et impii: unde solum pro forma confitentur aliqua leviora, et tacent graviora: sicque relicto confessionis pallio seipsum subtrahunt medico suo, adeoque divinæ gratiæ. Sic lusit Saul rex, quando jussus a Deo interficere quidquid erat in Amalec, pepercit pulchris, pretiosis et pinguis: vilia solum demolitus est; et tamen interim dicere Samueli non dubitavit, *Implevi verbum Domini*. Cumque a Samuele velut prævaricator argueretur; *Imo, inquit, audivi vocem Domini, et ambulavi in via, per quam misit me Dominus*. I. Reg. XV. Pallium ergo suum Samueli reliquit, seipsum subtraxit. Vilia et macilenta mactat, pretiosa vero ac pin-

guia reservat qui leviora peccata confitetur, graviora tacet. Non difficile credi potest, quod scribit Poggius in facetiis, de pastore Neapolitano, qui suo confessario pro gravi delicto confessus est, se dum premeret caseum in die jejunii, exilientes in os guttas aliquot lactis sorbuisse contra legem jejunii. Rogatus, an cum aliis pastoribus nullum viatorem spoliasset aut peremisset: is nihil moratus, sæpius id quidem se fecisse ait, sed pro re grandi non habuisse; quod id loci consuetum esset. Dic ergo mi confitens: Non sum Elias; non sic instituiam meam confessionem.

III. Videntur aliqui asserere, se esse Christum, quod in prima interrogatione negavit de se Joannes: *Non sum ego Christus*. Quinam vero illi, qui se Christum dicunt in confessione? Primo qui se omnia ad salutem sibi necessaria scire existimant, ideoque confessarium cordis sui arcana rimantem ægre ferunt, Christus quidem is fuit, qui omnia scivit, adeoque frustra interrogabatur, quasi de re, quam nesciret. Unde Joan. X VI. dicunt discipuli: *Nunc scimus, quia scis omnia, et non opus est tibi, ut quis te interroget*. Similiter et Pharisæi cum non possent respondere ei: *Non ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*, Matth. XXII. At quis præter Christum talis, qui non possit doceri, quod nesciat? Prudentes confessarii non rimantur conscientias confitentium, dum vident eas sibi bene constare et officium facere. At cum vident eos vel præ verecundia aut cæcitate, vel defectu examini præmissi et cognitionis sui, hære in salebris, solent ac tenentur eos juvare. Sic Christus Dominus adfuit discipulis laborantibus in remigando, Marc. VI. Eodem modo Petrus, et qui cum eo erant, cum trahere non possent rete præ multitudine piscium, annuerunt sociis, ut manum auxiliarem porrigerent, Luc. V. Hos imitantur, qui sapiunt, confitentes, rogant enim confessarios suos, ut juvent laborantes in extrahendo reti suorum peccatorem, vel sponte succurrentes grato animo accipiunt. Quis enim auriga in luto hærens non gaudeat, si quis ejus equis suos adjungat, ut extrahere currum queat, et via sua pergere?

Secundo, qui omnino innocentes et impollutos se insinuant, dum nulla in re accusant, quasi nihil deliquerint; Christo ergo similes esse volunt, de quo Apostolus ad Hebr. VII. ait: *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cælis factus*. Tales esse se videntur tacite asserere, qui licet a multo tempore non sint confessi, nullam tamen adferunt sui accusationem, quasi nihil unquam deliquerint. Christus igitur erunt, sancti, innocentes, im-

polluti, segregati ab omnibus peccatoribus, et cælo excelsiores. Sed timendum ne hi verius pseudochristi sint et mentiantur, non homini confessario, sed Deo. Scimus Ananiam et Saphiram subita morte punitos, quod mentiti essent coram Petro, se nihil defraudasse, Actor. V. Nec raro evenit, ut graviter etiam punirentur, qui in confessione innocentes se asseruerunt, cum essent rei: vel etiam reticuerunt solum peccata sua. Religiosus quidam Fridericus Amalphitanus dum confiteri culpas suas in agritudine erubuit, corpus Dominicum sæpius sibi oblatum, sumere non potuit, donec fratrum hortatu tandem abbati se qualis erat, ostendit; ut habetur in vita Petr. abbatis Cavensis, apud Sur. IV. Martii, aliud simile recenset Pet. Ven. abbas Cluniacensis, libro primo illustrium mirac. c. III. de quodam juvene Teutonico, qui cum insania turpis amoris erga quamdam feminam laboraret, in extremis constitutus, cætera quidem peccata confessus est, illius tamen fœdi amoris reum se negavit, dicens: « Sic hoc Domini corpus, quod attulisti ad salutem suscipere merear, sicut hujus rei, quæ mihi objicitur, aliquando culpam non incurri. » Hac presbyter responsione credulus redditus, Dominicam ei communionem jam securus tradidit. Qua ore suscepta, glutienti virtus ægro protinus ablata est. Nam cum paulo ante quibuslibet etiam grossioribus cibis facilis esset ad ima descensus, hoc parvissimum corporis Christi fragmen, non dicam stomachum, sed nec etiam guttur vel paululum attingere potuit. Hoc sentiens ille, niti quantum potuit, cœpit, ut illud glutire valeret. Quod dum multoties conaretur, et frustrari semper suos conatus cerneret, coactus ipsa glutienti impotentia juxta lectum quo decumbebat, illud expuendo projecit. Cujus rei eventu valde territus, presbyterum, qui discesserat, ad se revocari rogavit. Rediit ergo presbyter et infirmum revisens, cur se revocasset, quæsivit. At spiritu Dei compunctus, confessus est se male egisse, sed Deo mentitum fuisse, verumque quod antea negaverat esse. Quem cum multo gemitu pœnitentem et satisficientem, is quid advenerat, presbyter intuens, compassus confitenti, et mœrore confecto, eum ut moris est, absolvit, atque rursum Dominico corpore refecit. Quo suscepto cum tanta illud libertate glutivit, ut vere tunc appareret, non casu, sed virtute divina, ne ante hoc suscipere posset, prohibitum fuisse. Post hanc igitur reatus confessionem, et corporis Christi perceptionem paululum supervivens in pace quievit. Hoc non a duobus aut tribus testibus tantum didici, sed a priore jam dicti loci, honesto et fide digno viro, et fratribus ejusdem monasterii ac multis

aliis, quorum quidam se hoc vidisse, alii a presbytero se audisse testati sunt. » Dic ergo mi confitens, *Non sum ego Christus*, non sum sanctus, innocens et impollutus non sum, non sum. Sed quid tandem respondebimus nostris confessariis, si nec propheta, nec Elias, nec Christus sumus? Respondeamus, quod dixit. Quid ille dixit? *Ego vox clamantis*. Sed quid clamandum? Illud Davidis. II. Reg. ultimus: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi*. Non committamus ut ipsum veneni antidotum fiat nobis venenum, pœnitentia peccatum. *Debemus cavere*, ait S. Ambros. lib. I. de pœnitentia, c. XVII. *ne remedium nostrum fiat diaboli triumphus*. Et lib. II. cap. XI. *Ne ipsa pœnitentia fiat, quod postea indiget pœnitentia*. De cicuta herba venenosa scribit Plinius lib. XXI. cap. XIII. *Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna infusa*. (quia enim propinare damnatis ad mortem solebant.) *Remedio autem est, priusquam perveniatur ad vitalia, vini natura excalearia, sed in vino pota irremediabilis est*. Est quidem confessio præclarum remedium pellendis peccatis in cor admissis, at si ipsi confessioni peccatum admisceatur, quis medebitur huic malo? Nemo igitur nostrum mentiat, et affingat sibi personam alienam: nemo se prophetam, nemo Eliam, multo minus Christum asserere præsumat, sed potius cum Joanne non sum, non sum talis, et cum Davide, *peccavi*, dicat, et sincere se accuset, ut a Christo non solum excusari, sed et laudari mereatur.

## CONCIO V.

VARIE PŒNITENTIE VARIIS DEFECTIBUS OBNOXIE.

Quid sit dirigere viam Domini. — I. Paratur via devia et erronea ab hæreticis. — II. Via voraginosâ ab iis quos pœnitent non peccasse. — III. Nimis angusta ab iis, qui non dolent de peccato, velut summo malo. — IV. Ab aliis nimis profunda, qui naturali solum pœnitentia ducuntur. — V. Ab aliis subdola et fallax, qui fiete pœnitent. — VI. Ab aliis scrupulosa, qui in desperationem cadunt.

## THEMA.

*Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta*. Joan. I.

Obscurum nonnihil apparet hoc Joannis responsum: *Dirigite viam Domini*. Quærere enim posset aliquis, quorsum, et qua ratione dirigenda est via Domini? Quare ne cui daret errandi occasionem ad Isaiam nos ablegat: *Sicut dixit Isaias propheta*. Quid vero Isaias? *Parate viam Domini*, inquit, *rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Pro parate in Hebr. est *pannu*; quod sententiam declarat, significat enim primo; *date faciem*, h. e. speciem viæ

Domini, q. d. curate ne quid habeat sordium, inæqualitatis, asperitatis, aut indecentiæ hæc via: sed ut nitida et speciosa sit. Significat deinde ad angulum et perpendicularum dirigite hanc viam, æquate et complanate; prout subdit Isaias: *Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*. Denique exponitur ab aliis: *Expurgate viam Domini*, et ab oculis amovete, quidquid in ea indecorum est. Quæ omnia tandem eo collimant, idque inculcant, quod Joannes primum Matth. III. deinde etiam Christus initio prædicationis suæ mundo proposuerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*, Matth. IV. Verum quemadmodum viæ et semitæ variæ admodum sunt, et variæ parantur: ita etiam pœnitentia varia deprehenditur in variis hominibus, et multoties non inutilis solum, sed etiam damnosa et exitiosa, id quod nunc explicabimus.

I. Parant aliqui viam Domini, sed deviam et erroneam a cælo abducentem; suntque hæretici nostri temporis, qui pœnitentiam aliam non requirunt, præter inchoationem novæ vitæ: absque omni detestatione prioris, seu peccatorum admissorum. Seducit via hæc, nec Domino paratur.

Primo, quia rationi contraria. Cum enim nova institui vita debet, nisi quia prior mala fuit? Et cur nova placet, nisi quia prior displicuerit? Quis potest novum induere hominem, nisi prius veterem exuerit? Quis Christum introducere in domum suam, nisi dæmonem expulerit et oderit, priorem sui incolam? *Quæ enim societas luci ad tenebras?* II. Corinth. VI. Nec potest quis duobus contrariis dominis servire: sed necesse est, si unum amet, alterum odio habeat. Deinde jus naturale apud omnes etiam barbaras nationes hoc exigit, ut facti nostri nos pœniteat, si in ejus, quem offendimus, redire velimus gratiam: neque reconciliari cuiquam possumus, nisi offensa, quam et intulimus, nobis displiceat. Qua igitur fronte aliquis Dei gratiam ambiat, quo pudore ad eum reverti postulet; si non prius acerbum et amarum ei sit, reliquisse Deum suum? Ipsi extitisse perfidum et ingratum? Unde S. Augustin. lib. de pœnitentia ait: *Nemo potest novam vitam inchoare, nisi eum superioris vitæ pœniteat*.

Secundo, quia contraria S. Scripturæ, quæ passim dolorem de præteritis peccatis eorumque detestationem requirit, uti Isa. XXXVIII. in pœnitentiam Ezechie: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Jerem. II. *Scito et vide, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*. Ezech. VI. *Displicebunt sibi met super malis quæ fecerunt in universis abominationibus suis*. Jælis cap. II. *Convertimini ad me in jejuniis et fletu, et*